

PONTIFICIA STUDIORVM VNIVERSITAS SALESIANA
FACVLTA LITTERARVM CHRISTIANARVM ET CLASSICARVM
Pontificium Institutum Altioris Latinitatis



LETTURA TESTI CRISTIANI ANTICHI LATINI 2

LB 0413. Lettura testi cristiani antichi latini II
(3 ECTS – 2 crediti nel II semestre): Prof. Miran Sajovic sdb

- Augustinus Hipponensis, *De excidio urbis Romae*
- Ambrosius Mediolanensis, *Epistola 73*
- Cyprianus Carthaginensis, *Ad Demetrianum*

Romae, 2015

Augustinus Hipponensis
De excidio urbis Romae
(Sermo 397)

1. De Danielis humilitate.

1. 1. Intueamur primam lectionem sancti Danielis prophetae, ubi eum audivimus orantem et mirati sumus peccata non solum populi, sed etiam propria confitentem. Nam post ipsam orationem - verba eius indicabant eum non solum deprecatores, sed etiam confessorem - post ipsam ergo orationem: *Cum orarem, inquit, et confiterer peccata mea et peccata populi mei Domino Deo meo*¹, quis, ergo, est, qui sine peccato se esse profiteatur, cum Daniel peccata propria confitetur? Nam superbo cuidam dictum est per Ezechielem: *Numquid tu sapientior quam Daniel?*². In tribus item quibusdam sanctis viris, per quos tria genera hominum significat Deus quae liberaturus est, quando magna tribulatio ventura est generi humano, etiam hunc Danielem posuit; et dixit, quod nemo inde liberabitur, nisi Noe, Daniel et Iob³. Et quidem manifestum est, quod in his tribus nominibus tria quaedam, ut dixi, genera hominum significat Deus. Iam enim tres illi viri dormierunt et apud Deum sunt spiritus eorum et corpora eorum in terra fluxerunt. Et ad dexteram Dei collocati sunt nec aliquam in hoc mundo tribulationem metuunt, unde cupiant liberari. Quomodo ergo de illa tribulatione liberabuntur Noe, Daniel et Iob? Quando dicebat ista Ezechiel, solus forsitan Daniel in corpore fuit. Iam Noe et Iob olim dormierant et somno mortis patribus appositi fuerant. Quomodo ergo poterant de imminente tribulatione liberari, iam olim de carne liberati? Sed in Noe significati sunt boni praepositi, qui regunt et gubernant Ecclesiam, quomodo Noe in diluvio gubernabat arcam. In Daniele significantur omnes sancti continentes; in Iob significantur omnes coniugati et bene viventes. Haec enim tria genera hominum de illa tribulatione liberat Deus. Tamen quantum sit commendatus Daniel, ex hoc apparet, quod unus ex illis tribus meruit nominari; et tamen confitetur peccata sua. Daniele ergo confitente peccata sua, cuius superbia non contremiscat, cuius inflatio non residat, cuius tumor et elatio non cohibeatur? *Quis gloriatur castum se habere cor, aut quis gloriatur mundum se esse a peccato?*⁴

2. 1. Et mirantur homines et utinam mirentur et non etiam blasphemant, quando corripit Deus genus humanum, et flagellis pia castigationis exagitat, exercens ante iudicium disciplinam et plerumque non eligens quem flagellet, nolens invenire, quem damnet. Flagellat enim simul et iustos et iniustos⁵; quamquam quis iustus, si Daniel peccata propria confitetur?

¹ Dan 9,20.

² Ez 28,3.

³ Cf. Ez 14,14.

⁴ Prov 20,9.

⁵ Cf. Hebr 12,6.

2. Roma et Sodoma.

2. 2. Lecta est ante dies lectio libri *Geneseos*⁶, quae nos, nisi fallor, multum fecit intentos, ubi Abraham dicit Domino, utrum si inveniatur in civitate quinquaginta iustos, parcat civitati propter eos, an cum ipsis perdat etiam civitatem. Et respondit ei Dominus, quod si inveniatur in civitate quinquaginta iustos, parcat civitati. Deinde Abraham adiecit ad interrogationem et quaesivit, utrum si minus fuerint quinque et remaneant quadraginta quinque, similiter parcat. Respondit Deus parcere se propter quadraginta quinque. Quid plura? Paulatim interrogando et ex illo numero detrahendo pervenit ad decem et quaesivit a Domino, utrum si decem iustos in civitate repererit, perdat eos cum reliquis innumerabilibus malis, an propter decem iustos parcat potius civitati. Respondit Deus etiam propter decem iustos non se perdere civitatem. Quid ergo dicemus, fratres? Occurrit enim nobis quaestio vehemens et valida praesertim ab hominibus, qui Scripturis nostris impietate insidiantur, non qui eas pietate requirunt; et dicunt maxime de recenti excidio tantae Urbis: Non erant Romae quinquaginta iusti? In tanto numero fidelium, tanto numero sanctimonialium, continentium, tanto numero servorum Dei et ancillarum nec quinquaginta iusti inveniri potuerunt nec quadraginta nec triginta nec viginti nec decem? Si autem hoc incredibile est, quare non Deus propter quinquaginta vel etiam propter ipsos decem pepercit illi civitati? Scriptura non fallit, si se homo non fallat. Cum de iustitia Dei quaeritur et Deus de iustitia respondet; iustos quaerit ad regulam divinam, non ad regulam humanam. Cito ergo respondeo: Aut invenit ibi tot iustos et pepercit civitati; aut, si non pepercit civitati nec iustos invenit. Sed respondetur mihi manifestum esse quod Deus non pepercit civitati. Respondeo ego: Immo mihi non est manifestum. Perditio enim civitatis ibi facta non est, sicut in Sodomis facta est⁷. De Sodomis enim quaestio erat, quando Abraham Deum interrogavit. Deus autem dixit: *Non perdam civitatem*; non dixit: Non flagellabo civitatem. Sodomis non pepercit, Sodomam perdidit; Sodomam penitus igne consumpsit, quam ad iudicium non distulit, sed in ea exercuit, quod aliis malis ad iudicium reservavit. Prorsus nullus de Sodomis remansit. Nihil relictum est pecoris, nihil hominis, nihil domorum; cuncta omnino ignis absorbit. Ecce, quomodo Deus perdidit civitatem. Ab urbe autem Roma quam multi exierunt et redituri sunt, quam multi manserunt et evaserunt, quam multi in locis sanctis nec tangi potuerunt! Sed captivi, inveniunt, multi ducti sunt. Hoc et Daniel non ad supplicium suum, sed ad solacium ceterorum. Sed multi, inveniunt, occisi sunt. Hoc et tot iusti Prophetarum *a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae*⁸; hoc etiam tot Apostoli, hoc etiam ipse Dominus Prophetarum et Apostolorum, Iesus. Sed multi, inveniunt, tormentis variis excruciiati sunt. Putamusne quisquam tantum quantum Iob?

⁶ Cf. *Gen* 18,23-32.

⁷ Cf. *Gen* 18,24-33.

⁸ *Mt* 23,35; *Lc* 11,51.

2. 3. Horrenda nobis nuntiata sunt; strages facta, incendia, rapinae, interfeciones, excruciationes hominum. Verum est, multa audivimus, omnia genuimus, saepe fleuimus, vix consolati sumus; non abnuo, non nego multa nos audisse, multa in illa urbe esse commissa.

3. *Roma et Iob.*

3. 3. Verumtamen, fratres mei, intendat Caritas vestra, quod dico. Quando audivimus librum sancti Iob, quod perditis rebus, perditis filiis, nec ipsam carnem suam, quae illi sola remanserat, salvam potuit obtinere; sed percussus gravi vulnere a capite usque ad pedes, sedebat in stercore, putrescens ulcere, sanie affluens, vermibus scatens, tormentis acerbissimis dolorum cruciatus. Si nobis sic nuntiaretur universa civitas hoc sustinere, nullo ibi sano, in gravissimo vulnere, et sic putrescere, vermibus homines vivi, quomodo mortui putruerunt: quid erat gravius? Hocne, an illud bellum? Puto, quod mitius in carnem humanam ferrum saeviret, quam vermes; tolerabilius de vulneribus sanguis erumperet, quam de putredine sanies distillaret. Cadaver corrumpi respicis et horrescis; sed ideo minor poena, immo ideo nulla poena, quia absens est anima. At vero in Iob praesens anima quae sentiret, ligata ne fugeret, subiecta, ut doleret, compuncta, ut blasphemaret. Sustinuit tamen tribulationem Iob et deputatum est illi ad magnam iustitiam. Non ergo quisquam attendat, quid patiat, sed quid faciat. Homo, in eo, quod pateris, potestas tua non est; in eo, quod facis, voluntas tua vel nocens vel innocens est. Patiebatur Iob, stabat mulier relicta sola, non ad consolationem, sed ad temptationem; non quae afferret medicinam, sed quae dictaret blasphemiam: *Dic aliquid in Deum et morere*⁹. Videte, quemadmodum illi mors beneficium fuit et tale beneficium nemo illi praestabat. Sed in his omnibus, quae sancta anima sustinebat, patientia exercebatur, fides probabatur, mulier confundebatur, diabolus vincebatur. Spectaculum magnum et in illa foeditate putredinis praeclara pulchritudo virtutis! Vastat latenter inimicus: aperte malum suadet inimica; adiutorium diaboli, non mariti; illa Eva nova, sed ille non vetus Adam: *Dic, inquit, aliquid in Deum et morere*. Blasphemando extorque, quod precando non potes impetrare. *Locuta es, inquit, tamquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala autem quare non sustinemus?*¹⁰. Attendite verba fortis fidelis; attendite verba foris putrescentis, intus integri: *Locuta es tamquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala autem quare non sustinemus?* Pater est; numquid amandus blandiens et respuendus corripuens? Nonne ipse pater est et promittens vitam, et imponens disciplinam? Excidit tibi: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad temptationem. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine et in humilitate tua patientiam*

⁹ Iob 2,9.

¹⁰ Iob 2,10.

*habe; quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero acceptabiles in camino humiliationis*¹¹. Excidit tibi: *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit*¹².

4. *Temporalis poena - aeterna poena.*

4. 4. Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet poenas humanas; compara ad Gehennam et leve est omne, quod pateris. Hic temporalis, ibi aeternus est et qui torquet et qui torquetur. Numquid adhuc patiuntur, qui illo tempore passi sunt, quo Roma vastata est? Dives autem ille¹³ adhuc apud inferos patitur. Arsit, ardet, ardebit; veniet ad iudicium; recipiet carnem, non ad beneficium, sed ad supplicium. Illas poenas timeamus, si Deum timeamus. Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est; si nec sic corrigatur, duplex damnatio est. Et hic enim luet temporales poenas et ibi experietur aeternas. Dico Caritati vestrae, fratres: martyres certe sanctos laudamus, glorificamus, admiramur; dies eorum pia sollemnitate celebramus, merita eorum veneramur et, si possumus, imitamur. Est profecto magna martyrum gloria; sed nescio utrum minor fuit gloria sancti Iob; nec tamen ei dicebatur: Thus pone idolis, sacrificia diis alienis aut nega Christum. Dicebatur tamen: Blasphema Deum. Nec sic dicebatur, ut intellegeretur: Si blasphemaveris, putredo omnis abscessura est, sanitas reditura; sed: Si blasphemaveris, dicebat inepta et insulsa mulier, morieris et moriendo tormentis carebis. Quasi vero morienti blasphemo non aeternus dolor succedit! Mulier fatua praesentis putredinis molestiam abhorrebat, aeternam flammam minime cogitabat. Ferebat ille praesentes poenas, ne incideret in futuras. Tenebat cor a mala cogitatione, linguam a maledicto; servabat animae integritatem in putredine corporis. Videbat, quod in futurum evadebat; et ideo, quod patiebatur, ferebat. Sic, unusquisque Christianus, quando aliquam difficultatem corporis patitur, Gehennas cogitet et videt, quam leve est, quod patitur. Non murmuret adversus Deum, non dicat: Deus, quid tibi feci, quare ista patior? Immo dicat, quod ipse Iob dixit, quamvis sanctus: *Exquisisti omnia peccata mea et ea tamquam in sacco signasti*¹⁴. Non se ausus est dicere sine peccato, qui patiebatur, non ut puniretur, sed ut probaretur. Hoc dicat unusquisque, cum patitur.

5. *Solus Deus tollit peccata.*

5. 5. Fuerunt Romae quinquaginta iusti, immo si modum humanum consideres, millia iustorum; si regulam perfectionis inquiras, nemo iustorum existat Romae. Qui se iustum audeat dicere, audiet a Veritate: *Numquid tu sapientior Daniele?*¹⁵. Audi ergo illum confitentem peccata sua¹⁶. An forte, cum confitebatur, mentiebatur? Hinc, ergo, habebat peccatum, quia de suis peccatis Deo mentiebatur. Sed aliquando argumentantur homines et dicunt: Debet et homo iustus dicere Deo, quia: Peccator sum; et

¹¹ *Eccli 2,1.4-5.*

¹² *Prov 3,12.*

¹³ Cf. *Lc 16,19-26.*

¹⁴ *Iob 14,16-17.*

¹⁵ *Ez 28,3.*

¹⁶ *Dan 9,20.*

quamvis sciat nullum se habere peccatum, tamen dicat Deo: Habeo peccatum. Miror, si ista consilii sanitas appellanda est. Quis te fecit non habere peccatum? Si non habes ex toto peccatum, nonne Deus, qui sanavit animam tuam? Si tamen non habes peccatum. Nam considera et invenies peccata potius quam peccatum. Tamen si prorsus non habes peccatum, nonne illius beneficium est, cui dixisti: *Ego dixi: Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi*¹⁷? Si ergo sine peccato est anima tua, sanata est omni modo anima tua; si sanata est omni modo anima tua, quare ingratus es medico, ut dicas adhuc esse vulnus, ubi omnem ille sanitatem iam fecit? Si corpus tuum languidum aut vulneratum medico demonstrares et rogares, ut tibi curandi diligentiam adhiberet atque ille sanum efficeret incolumenque redderet, et adhuc tu diceres minime sanum, nonne esses in medicum ingratus et contumeliosus? Sic et Deus sanavit te et adhuc audes dicere: Vulnus habeo? Nec times, ne tibi respondeat: Ergo ego nihil egi aut totum, quod egi, effudi; non accipio mercedem, non mereor laudem? Avertat Deus hanc amentiam et hanc argumentationem vanam. Dicat homo: Peccator sum, quia peccator est; dicat: Peccatum habeo, quia peccatum habet. Non enim si non habet, sapientior est quam Daniel. Ergo, fratres mei, illam quaestionem aliquando terminem. Si iusti sic appellandi sunt, sicut modo quodam humano iusti appellantur, secundum quamdam conversationem, qua inter homines vivunt sine querela; multi tales Romae; et propter hos pepercit Deus, multi evaserunt; sed et his, qui mortui sunt, pepercit Deus. Mortui enim in bona vita et vera iustitia et fide, nonne aerumnarum humanarum caruerunt casus et ad divinum refrigerium pervenerunt? Mortui sunt post tribulationes, quomodo pauper ille ante ianuam divitis. Sed passi sunt famem? Passus est et ille. Passi sunt vulnera? Passus est et ille: forte minus eos canes linxerunt. Mortui sunt? Mortuus est et ille; sed quo fine audi: *Contigit inopem illum mori et afferi ab Angelis in sinum Abrahae*¹⁸.

6. Romae parcitum est.

6. 6. Utinam videre possemus animas sanctorum, qui in illo bello mortui sunt; tunc videretis, quomodo Deus pepercit civitati. Millia enim sanctorum in refrigerio sunt, laetantes et dicentes Deo: Gratias tibi, Domine, quia nos carnis molestiis et tormentis noxiis eruisti. Gratias tibi, quia iam nec barbaros nec diabolium formidamus; non timemus in terra famem, non timemus hostem, non timemus persecutorem, non timemus oppressorem; sed sumus in terra mortui, apud te, Deus, non morituri, dono tuo non merito nostro. Qualis civitas est humilium, quae ista dicit! An putatis, fratres, civitatem in parietibus et non in civibus deputandam? Denique si diceret Deus Sodomitis: Fugite, quia incensus sum locum istum; nonne meritum magnum habuisse forsitan diceremus, si fugerent, et flamma de caelo descendens moenia tantum parietesque vastaret? Nonne Deus pepercit civitati, quia civitas migraverat et perniciem illius ignis evaserat?

¹⁷ Ps 40,5.

¹⁸ Lc 16,22.

7. Constantinopolis urbs mire premonetur.

6. 7. Nonne ante paucos annos sub Arcadio imperatore Constantinopoli (audiunt quod dico, nonnulli forsitan qui noverunt et sunt in hoc populo, qui et illic praesentes fuerunt), volens Deus terrere civitatem et terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli, viro, ut dicitur, militari, venit in revelatione et dixit ei civitatem hanc venturo de caelo igne perituram; eumque admonuit, ut episcopo diceret. Dictum est; non contempsit episcopus, allocutus est populum; conversa est civitas in luctum paenitentiae, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive¹⁹. Tamen ne putarent homines illum, qui dixerat vel falsitate deceptum vel fallacia decepsisse, venit dies, quem Deus fuerat comminatus. Intentis omnibus et exitum cum timore magno exspectantibus, noctis initio tenebrante iam mundo visa est ignea nubes ab Oriente, primo parva deinde paulatim, ut accedebat super civitatem, ita crescebat, donec totae urbi ingens timor terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma de caelo pendere nec odor sulphuris deerat. Omnes ad ecclesiam confugiebant, non capiebat multitudinem locus; baptismum extorquebat quisque, a quo poterat. Non solum in ecclesia, sed etiam per domos, per vicus ac plateas salus sacramenti exigebatur; ut fugeretur ira, non praesens utique, sed futura. Tamen post magnam illam tribulationem, ubi Deus exhibuit fidem servi sui et revelationem servi sui, coepit nubes, ut creverat, minui, paulatimque consumpta est. Populus, securus paululum effectus, iterum audivit omnino esse migrandum, quod civitas esset proximo sabbato peritura. Migravit cum Imperatore civitas tota; nemo in domo remansit, nemo domum clausit. Longe recedens a moenibus et dulcia tecta respiciens, relictis carissimis sedibus voce miserabili valefecit. Et aliquot milibus tanta illa multitudo progressa, uno tamen in loco fundendis ad Dominum precibus congregata, magnum fumum subito vidit et vocem magnam emisit ad Dominum, tandemque tranquillitate conspecta, misit, qui renuntiarent. Sollicita quae praedicta fuerat hora transacta et renuntiantibus quod salva universa moenia et tecta consisterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quidquam perdidit, patentem omnis homo sicut dimisit invenit.

8. Roma corrigitur non deletur.

7. 8. Quid dicemus? Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuit? Quis dubitet misericordissimum Patrem corrigere voluisse, terrendo potius, non punire, quando nihil hominum, nihil domorum, nihil moenium tanta impendens praesens calamitas laesit? Prorsus sicut assolet manus erigi ad feriendum et consternato illo, qui feriendus erat, miseratione revocari, ita factum est illi civitati. Verumtamen si eo tempore, quo illa derelicta populus universus abscessit, irrueret vastitas loco, totamque urbem ut Sodomam nullis saltem ruinis remanentibus, perdidisset; quis etiam sic dubitaret, quod Deus pepercisset illi civitati, qua praemonita et territa et discedente atque migrante, locus ille consumeretur? Sic minime

¹⁹ Cf. *Ion* 3,5-10.

dubitandum est pepercisse Deum Romanae etiam civitati, quae ante hostile incendium in multis ex multa parte migraverat. Migraverant, qui fugerant, migraverant, qui de corpore celerius exierant. Multi praesentes utcumque latuerunt, multi in locis sanctorum vivi salvique servati sunt. Manu ergo emendantis Dei correpta est potius civitas illa quam perdita; tamquam servus sciens voluntatem domini sui et faciens digna plagis vapulabit multis²⁰.

9. Flagellorum utilitas.

8. 9. Atque utinam valeat ad exemplum timoris et mala concupiscentia sitiens mundum et appetens perfrui perniciosissimis voluptatibus demonstrante Domino quam sint instabiles et caducae omnes saeculi vanitates et insaniae mendaces, potius refrenetur quam sub flagellis dignissimis adversus Dominum murmuretur. Sed unam tribulam sentit area, ut stipula concidatur, granum autem mundetur; unum ignem patitur fornax aurificis, ut palea in cinerem pergat, aurum sordibus careat. Sic et unam tribulationem Roma pertulit, in qua vel liberatus vel emendatus est pius; impius autem damnatus, damnatus, inquam, sive ab hac vita raptus sit, ubi magis poenas iustissimas lueret, sive hic remanserit, ubi damnabilius blasphemaret aut certe pro ineffabili clementia sua Deus, quos novit salvandos, poenitentiae reservaret. Non ergo nos moveat labor piorum; exercitatio est. Nisi forte horremus, cum videmus indigna et gravia in hac terra perpeti aliquem iustum et obliviscimur, quae pertulerit iustus iustorum sanctusque sanctorum. Quod passa est illa civitas universa, passus est unus. Sed videte, quis unus: *Rex regum et Dominus dominantium*²¹, comprehensus, vinctus, flagellatus, contumeliis omnibus agitatus, ligno suspensus et crucifixus, occisus. Appende cum Christo Romam, appende cum Christo totam terram, appende cum Christo caelum et terram; nihil creatum cum Creatore pensatur, nullum opus artificii comparatur. *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil*²²; et tamen a persequentibus traditus est. Feramus ergo quod Deus nos ferre voluerit; qui nobis curandis atque sanandis suum Filium misit, quis etiam dolor, sicut medicus, novit utilis sit. Certe scriptum est: *Patientia opus perfectum habeat*²³; quod erit autem opus patientiae, si nihil adversi patiamur? Cur ergo mala temporalia perpeti recusamus? An forte perfici formidamus? Sed plane oremus et ingemiscamus ad Dominum, ut servetur erga nos, quod Apostolus dicit: *Fidelis Deus, qui non sinat vos temptari supra id quod potestis; sed faciat cum temptatione etiam exitum, ut possitis sustinere*²⁴.

²⁰ Lc 12,47.

²¹ Apoc 19,16.

²² Io 1,3.

²³ Iac 1,4.

²⁴ 1 Cor 10,13.

Ambrosius Mediolanensis *Epistula 73*

Ambrosius episcopus beatissimo principi et clementissimo Imperatori Valentiniano Augusto.

1. Cum vir clarissimus praefectus urbi Symmachus ad clementiam tuam retulisset, ut ara quae de urbis Romae curia sublata fuerat redderetur loco, et tu, imperator, licet adhuc in minoris aevi tirocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus obsecrata gentilium non probares, eodem quo comperi puncto libellum obtuli, quo, licet comprehenderim quae suggestioni necessaria viderentur, poposci tamen exemplum mihi relationis dari.
2. Itaque non fidei tuae ambiguus sed providus cautionis et pii certus examinis hoc sermone relationis assertioni respondeo, hoc unum petens ut non verborum elegantiam sed vim rerum expectandam putes. Aurea enim, sicut scriptura divina docet, est lingua sapientium litteratorum,²⁵ quae faleratis dotata sermonibus et quodam splendentis eloqui velut coloris pretiosi corusco resultans capit animorum oculos specie formosa visuque perstringit. Sed aurum, si diligentius manu tractes, foris pretium, intus metallum est. Volve, quaeso, atque excute sectam gentilium; pretiosa et grandia sonant, veri effeta defendunt; deum loquuntur, simulacrum adorant.
3. Tria igitur in relatione sua vir clarissimus praefectus urbi proposuit quae valida putavit: quod Roma veteres, ut ait, suos cultus requirat et quod sacerdotibus suis virginibusque vestalibus emolumenta tribuenda sint et quod emolumentis sacerdotum negatis fames secuta publica sit.
4. In prima propositione flebili Roma questu sermonis illacrimat veteres, ut ait, cultus caerimoniarum requirens. Haec sacra, inquit, Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia praedicatur infirmitas proditur: Ergo Hannibal diu sacris insultavit Romanis et diis contra se dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant?
5. Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes Romanae reliquiae non tulissent nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana praesules habent. Ubi tunc erat Iuppiter? An in ansere loquebatur?
6. Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Hannibal eosdem deos colebat. Utrum volunt igitur? Eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt; si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt.
7. Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela, non haec Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus: Quid me casso cottidie gregis innoxii sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum sed in viribus bellatorum tropaea victoriae sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui

²⁵ Cfr. *Prov* 15,2.

sublata Capitolio signa caesis Tarpeiae rupis triumphatoribus reportavit; stravit virtus quos religio non removet. Quid de Atilio loquar qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter Capitolii aras sed inter Hannibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam bimenstres imperatores et terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est novum barbaros suis excessisse finibus? Numquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili novoque exemplo alter captivus imperator, sub altero captivus orbis fefellisse quae victoriam promittebant suas caerimonias prodiderunt? Numquid et tunc non erat ara Victoriae? Paenitet lapsus, vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longaeva converti. Verum certe est quia nulla aetas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus quae emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda sed morum.²⁶ Nullus pudor est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum barbaris quia deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quaeritis dei voces? Venite et discite in terris caelestem militiam. Hic vivimus et illic militamus. Caeli mysterium doceat me deus ipse qui condidit, non homo qui se ipsum ignoravit. Cui magis de deo quam deo credam? Quomodo possum vobis credere qui fatemini vos ignorare quod colitis?²⁷

8. Uno, inquit, itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Quod vos ignoratis id nos dei voce cognovimus, et quod vos suspicionibus quaeritis nos ex ipsa sapientia dei et veritate compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobis cum: vos pacem diis vestris ab imperatoribus obsecratis, nos ipsis imperatoribus a Christo pacem rogamus; vos manuumstrarum adoratis opera,²⁸ nos iniuriam ducimus omne quod fieri potest deum putari. Non vult se deus in lapidibus coli; denique etiam ipsi philosophi vestri ista riserunt.

9. Quod si vos ideo Christum deum negatis quia illum mortuum esse non creditis, - nescitis enim quod mors illa carnis fuerit non divinitatis, quae fecit ut credentium iam nemo moriatur²⁹ -, quid vobis imprudentius, qui contumeliose colitis et honorifice derogatis? Vestrum enim deum lignum putatis. O contumeliosa reverentia! Christum mori potuisse non creditis. O honorifica pervicacia!

10. Sed vetera, inquit, reddenda sunt altaria simulacris, ornamenta delubris. Reposcantur haec a consorte superstitionis, Christianus imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias et ora fidelia ministerium suis cogunt sacrilegiis exhibere? Vox imperatoris nostri Christum resultet et illum solum quem sentit loquatur, quia *cor regis in manu dei*.³⁰ Numquid imperator gentilis aram Christo levavit? Dum ea quae fuerunt reposcunt, exemplo sui admonent, quantum Christiani imperatores religioni quam sequuntur debeant deferre reverentiae, quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt.

²⁶ Cfr. *Sap* 4,2-8.

²⁷ Cfr. *Act* 17,23.

²⁸ Cfr. *Sap* 13,10.

²⁹ Cfr. *Io* 3,15.

³⁰ *Prov* 21,1.

11. Dudum coepimus et iam sequuntur exclusos. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium movet. Nos haec victoriae loco ducimus, illi iniuriam putant. Numquam nobis amplius contulerunt quam cum verberari Christianos atque proscribi ac necari iuberent. Praemium fecit religio quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos! Per iniurias per inopiam per supplicium nos crevimus, illi caerimonias suas sine quaestu manere posse non credunt. Habeant, inquit, vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc qui nesciunt credere quod possit esse gratuita virginitas, provocent lucris qui diffidunt virtutibus. Quantas tamen illis virgines praemia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellae. En totus numerus quem infulae vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticae ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, praescripta denique pudicitiae tempora coegerunt.

12. Attollant mentis et corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittae capiti decus, sed ignobile velamen usui, nobile castitati; non exquisita sed abdicata lenocinia pulchritudinis, non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum sed usus ieiuniorum, non privilegia, non lucra; omnia postremo talia ut revocari studia putes dum exercentur officia, sed dum exercetur officium studium provocatur. Suis castitas cumulatur dispendiis. Non est virginitas quae pretio emitur, non virtutis studio possidetur; non est integritas quae tamquam in auctione nummario ad tempus licitatur compendio. Prima castitatis victoria est facultatum cupiditates vincere, quia lucri studium temptamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus: quae Christianis munera redundabunt? Quod tantas opes sufficiet aerarium? Aut si arbitrantur solis vestalibus conferendum, non pudet, ut qui totum sibi sub imperatoribus gentilibus vindicarunt, idem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem?

13. Sacerdotibus quoque suis et ministris queruntur alimenta publica non praeberi.

Quantus hinc verborum tumultus increpuit! At contra nobis etiam privatae successionis emolumenta recentibus legibus denegantur et nemo conqueritur; non enim putamus iniuriam quia dispendium non dolemus. Si privilegium quaerat sacerdos ut onus curiale declinet, patria atque avita et omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles si haberent ingravarent querelam, quod sacerdos ferias ministerii sui emat totius patrimonii sui damno et privati universae commoditatis dispendio usum publici mercetur obsequii? Praetendens communis salutis excubias domesticae inopiae se mercede solatur, quia ministerium non vendidit sed gratiam comparavit.

14. Conferte causas. Vos excusare vultis decurionem cum ecclesiae excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimae conditionis, nullus prodigus verecundiae; soli ex omnibus clerico commune ius clauditur a quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur, nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur tamen officio multa praescribitur. Quod sacerdotibus fani

legaverit Christiana vidua valet, quod ministris dei non valet. Quod ego non ut querar sed ut sciant quid non querar comprehendi; malo enim nos pecunia minores esse quam gratia.

15. Sed referunt ea quae vel donata vel relicta sunt ecclesiae non esse temerata. Dicant et ipsi quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quae si facta essent gentilibus, redderetur potius quam inferretur iniuria. Nuncine demum iustitia praetenditur, aequitas postulatur? Ubi tunc erat ista sententia, cum direptis Christianorum omnium facultatibus ipsos vitales anhelitus inviderent et nullis usquam negata defunctis inhiherent supremae commercia sepulturae? Quos gentiles praecipitarunt maria reddiderunt. Fidei ista victoria est, quod et ipsi iam facta maiorum carpunt suorum. Sed quae, malum, ratio ut eorum munera petant quorum gesta condemnant.

16. Nemo tamen donaria delubris et legata haruspibus denegavit; sola sublata sunt praedia, quia non religiose utebantur his quae religionis iure defenderent. Qui nostro utuntur exemplo, cur non utebantur officio? Nihil ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos redditus praebet, hos fructus. Possessio ecclesiae sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quae contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Praedia igitur intercepta, non iura sunt.

17. En quod factum, quae triste piaret nefas, fames, ut aiunt, publica vindicavit, quia usui omnium proficere coepit quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, ut aiunt, arbusta exuta corticibus suco miserabili deficientium ora lambebant. Propterea Chaoniam frugem glande mutantem rursus in pecudum pastus et ad infelicis victus alimenta revocati concussa quercu famem in silvis miseram solabantur. Nova videlicet prodigia terrarum, quae numquam ante acciderant, cum superstitione gentilis toto orbe ferveret. Revera quando ante vacuis avenis seges avari vota lusit agricolae et spem rusticae plebis quaesita sulcis frugis herba destituit.

18. Et unde Graecis oracula habitae suae quercus, nisi quia remedium silvestris alimoniae caelestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis Dodonaeas arbores nisi gentium populus adoravit, cum pabulum triste agri nemorum honore donaret? Non est verisimile quod indignantes eorum dii id pro poena intulerint quod solebant placati conferre pro munere. Quae autem aequitas ut paucis sacerdotibus dolentes victum negatum ipsi omnibus denegarent, cum inclementior esset vindicta quam culpa? Non est igitur idonea quae tantam aegritudinem mundi fallentis causa constrinxerit, ut virentibus segetibus subito spes anni adulta moreretur.

19. Et certe ante plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt. Modo ne demum diis gentilium venit in mentem suas iniurias ultum ire? Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum?

20. Esto tamen; si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant, cur praesenti anno contemptui fuere? Iam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur nec baccae silvestris

explorat solatia nec cibum de sentibus rapit, sed operum laeta felicitum, dum messes suas et ipsa miratur, explevit voti satietate ieiunium; usurarios nobis reddidit terra proventus.

21. Quis ergo tam novus humanis usibus ut vices stupeat annorum? Et tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse frugibus. De Galliis quid loquar solito ditioribus? Frumentum Pannoniae quod non severant vendiderunt et secunda Raetia fertilitatis suae novit invidiam; nam quae solebat tutior esse ieiunio, fecunditate hostem in se excitavit, Liguriam Venetiasque autumnus frumenta paverunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit et iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quod largo fetu vineae redundaverint? Itaque et messem feneratam recepimus et liberalioris vindemiae beneficia possidemus.

22. Postremus superest et maximus locus, utrum ea quae vobis profuerint, imperatores, restituere subsidia debeatis; ait enim: Vos defendant, a nobis colantur. Hoc est, fidelissimi principes, quod ferre non possumus, quia exprobrant nobis vestro se nomine diis suis supplicare et vobis non mandantibus sacrilegium immane committunt dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant praesidia sua, suos si possunt illa defendant. Nam si his a quibus coluntur auxilio esse non possunt, quomodo possunt vos defendere a quibus non coluntur?

23. Sed maiorum, inquit, servandus est ritus. Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreverat vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne postea distincto caeli maris terrarumque discrimine rerum formas quibus speciosus videtur accepit? Exutae umentibus tenebris novum terrae stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat et caloris exaestuatur.

24. Luna ipsa, qua propheticis oraculis species ecclesiae figuratur, cum primum resurgens in menstruas reparatur aetates, tenebris noctis absconditur paulatimque cornua sua complens vel e regione solis absolvens clari splendore fulgoris irrutilat.

25. Exerceri in fructus terrae antea nesciebant. Post ubi imperare arvis sollicitus coepit agricola et informe solum vestire vinetis, silvestres animos domesticis mollitae cultibus exuerunt.

26. Anni ipsius aetas prima quae + nos usu parili coloravit + nuda gignentium sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus.

27. Nos quoque aevi rudes sensus habemus infantiae, sed mutati in annos ingenii rudimenta deponimus.³¹

28. Dicant igitur in suis omnia manere debuisse principiis; mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse quam corporis, fideique iubar emicuisse quam solis? Ergo et mundi sicut omnium rerum primaeva nutarunt ut venerabilis canae fidei

³¹ Cfr. 1 Cor 13,11.

sequeretur senectus.³² Quos hoc movet reprehendant messem, quia sera fecunditas est, reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est, reprehendant olivam, quia postremus est fructus.

29. Ergo et messis nostra fides animorum est; ecclesiae gratia meritorum vindemia est, qua ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postrema aetate se diffudit in populos, ut adverterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi - nulla enim sine adversario corona victoriae -, sed explosa opinione quae ante convaluit, quod erat verum iure praelatum.

30. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam pretio humum et pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid ut de ipso respondeam quod queruntur captarum simulacra urbium victosque deos et peregrinos ritus sacrorum alienae superstitionis aemuli receperunt? Unde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lavat Cybebe? Unde Phrygii vates et semper invisae Romanis non aequae Carthaginis numina? Quam caelestem Afri, Mithram Persae, plerique Venerem colunt pro diversitate nominis, non pro numinis varietate. Sic deam esse et victoriam crediderunt, quae utique munus est, non potestas; donatur non dominatur, legionum gratia non religionum potentia. Magna igitur dea quam militum multitudo sibi vindicat vel proeliorum donat eventus?

31. Huius aram strui in urbis Romae curia petunt, hoc est quo plures conveniunt Christiani. Omnibus in templis arae, ara etiam in templo victoriarum. Quoniam numero delectantur, sacrificia sua ubique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei unius arae sacrificium vindicare? Ferendum ne istud ut gentilis sacrificet et Christianus intersit? Hauriant, inquit, hauriant vel inviti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, tus naribus et aversantium licet ora excitata focus nostris favilla respergat. Non illis satis sunt lavacra, non porticus, non plateae occupatae simulacris? Etiam ne in communi illo concilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium vocibus, adiurantium sacramentis? Si refutet videbitur mendacium prodere, si acquiescat sacrilegium confiteri.

32. "Ubi", inquit, "in leges vestras et verba iurabimus?" Ergo mens vestra quae legibus tenetur inclusa caerimoniis gentium suffragium colligit, fidem stringit? Iam non solum praesentium sed absentium etiam et quod est amplius, imperatores, fides vestra pulsatur; vos enim cogitis si iubetis. Constantius augustae memoriae nondum sacris initiatus mysteriis contaminari se putavit, si aram illam videret. Iussit auferri, non iussit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc praecepti non habet.

33. Nemo sibi de absentia blandiatur; praesentior est qui se animis inserit quam qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti quam corpore copulari. Vos senatus cogendi concilii praesules habet, vobis coit, vobis conscientiam suam non diis gentium praestat, vos liberis suis non tamen fidei suae praefert. Haec est caritas expetenda, haec est caritas maior imperio, si fides tuta sit quae servat imperium.

³² Cfr. *Sap* 4,8-9.

34. Sed fortasse aliquem moveat ita fidelissimum principem destitutum, proinde quasi meritorum pretium caducis aestimetur praesentium. Quis enim sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum novit negotia, quia non eosdem semper successus habent sed variant status et mutant vices?

35. Quem beatiorem Gnaeo Pompeio Romana templa miserunt? At is cum tribus triumphis terrarum cinxisset orbem pulsus acie bello profugus et sui terminis exsul imperii Canopei manu spadonis occubuit.

36. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius Orientis terrae regem dederunt? Is quoque cum principes potentissimos adversantes vicisset, victos reservasset, muliebribus armis fusus interiit. Et ille rex qui superatos etiam consessus honore donaverat exsecto capite et intra utrem plenum cruoris incluso femineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitae curriculo non paria paribus sed longe diversa referuntur.

37. Quem etiam magis sacrificiis deditum quam Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? Qui cum toto proelii tempore inter acies positus dimicantes sacrificium faceret, ubi partem suorum victam esse cognovit, in ipsos quos adolebat se praecipitavit ignes, ut eos vel corpore suo restingueret quos sibi nihil profuisse cognoverat.

38. Nam de Iuliano quid loquar? Qui cum responsis haruspicum male credulus esset ademit sibi subsidia revertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa, neminem etenim promissa nostra luserunt.

39. Respondi lacescentibus tamquam non lacescitus, refellendae etenim relationis, non exponendae superstitionis mihi studium fuit. Te tamen, imperator, ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cum de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus caerimonias patrum coluit, recentior non removet, addidisset etiam: Si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum; evidenter docuit quod et fidei tuae debeas, ut gentilicii ritus non sequaris exemplum, et pietati ut fratris statuta non violes. Si enim pro suis dumtaxat partibus eorum dissimulationem principum praedicarunt, qui cum essent christiani decreta tamen gentilium minime removerunt. Quanto magis amoris debent deferre fraterno, ut qui dissimulare deberes etiamsi quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, et nunc teneas quod et fidei tuae et germanitatis necessitudini iudicas convenire.

Cyprianus Carthaginensis *Ad Demetrianum*

1. Oblatrantem te et aduersus Deum qui unus et uerus est ore sacrilego et uerbis impiis obstrepentem frequenter, Demetriane, contempseram uerecundius et melius existimans errantis inperitiam silentio spernere quam loquendo dementis insaniam prouocare. Nec hoc sine magisterii diuini auctoritate faciebam, cum scriptum sit: *In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne quando audierit inrideat sensatos sermones tuos*³³, et iterum: *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius ne similis fias illi*³⁴, et sanctum quoque iubeamur intra conscientiam nostram tenere nec inculcandum porcis et canibus exponere loquente Domino et dicente: *Ne dederitis sanctum canibus neque miseritis margaritas uestras ante porcos, ne inculcent eas pedibus suis*.³⁵ Nam cum ad me saepe studio magis contradicendi quam uoto discendi uenires et clamoris uocibus personans malles tua inpudenter ingerere quam nostra patienter audire, ineptum uidebatur congredi tecum, quando facilius esset et leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere quam tuam rabiem tractatibus coercere. Certe et labor inritus et nullus effectus offerre lumen caeco, sermonem surdo, sapientiam bruto, cum nec sentire brutus possit nec caecus lumen admittere nec surdus audire.

2. Haec considerans saepe conticui et impatientem patientia uici, cum nec docere indocilem possem nec impium religione comprimere nec furentem lenitate cohibere. Sed enim cum dicas plurimos conqueri et quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames saeuiant, quodque imbres et pluias serena longa suspendant nobis imputari, tacere ultra non oportet, ne iam non uerecundiae, sed diffidentiae esse incipiat quod tacemus, et dum criminationes falsas contemnimus refutare, uideamur crimen agnoscere. Respondeo igitur et tibi, demetriane, pariter et ceteris quos tu forsitan concitasti et aduersum nos odia tuis maledictis uocibus seminando comites tibi plures radicis adque originis tuae pullulatione fecisti: quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem. Nam qui ad malum motus est mendacio fallente multo magis ad bonum mouebitur ueritate.

3. Dixisti per nos fieri et quod nobis debeant imputari omnia ista quibus nunc mundus quatitur et urguetur, quod dii uestri a nobis non colantur. Qua in parte qui ignarus diuinae cognitioni et ueritatis alienus es illud primo in loco scire debes senuisse iam mundum, non illis uiribus stare quibus prius steterat nec uigore et robore ipso ualere quo ante praeualebat. Hoc etiam nobis tacentibus et nulla de scripturis sanctis praedicationibusque diuinis documenta prominentibus mundus ipse iam loquitur et occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hieme nutriendis seminibus tanta imbrum copia

³³ *Prou* 23,9.

³⁴ *Prou* 26,4.

³⁵ *Mt* 7,6.

est, non frugibus aestate torrendis solita flagrantia est nec sic uerna de temperie sua laeta sunt nec adeo arboreis fetibus autumnus fecunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustae, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta iam metalla et pauperes uenae breuiantur in dies singulos. Et decrescit ad deficit in aruis agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitia concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putasne tu tantum posse substantiam rei senescentis existere, quantum prius potuit nouella adhuc et uegeta iuuenta pollere? minuatur necesse est quicquid fine iam proximo in occidua et extrema deurgit. Sic sol in occasu suo radios minus claro et igneo splendore iaculatur, sic declinante iam cursu exoletis cornibus luna tenuatur, et arbor quae fuerat ante uiridis et fertilis arescentibus ramis fit postmodum sterilis, senectute deformis, et fons qui exundantibus prius uenis largiter profluebat senectute deficiens uix modico sudore destillat. Haec sententia mundo data est, haec Dei lex est ut omnia orta occidant et aucta senescant et infirmentur fortia et magna minuantur et cum infirmata et deminuta fuerint finiantur.

4. Christianis inputas quod minuantur singula mundo senescente. Quid si et senes inputent christianis quod minus ualeant in senectute, quod non perinde ut prius uigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, uirium robore, succo uiscerum, mole membrorum, et cum olim ultra octingentos et nongentos annos uita hominum longaeua procederet, uix nunc possit ad centenarium numerum peruenire. Canos uidemus in pueris, capilli deficiunt antequam crescunt, nec aetas in senectutem desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat, sic quodcumque nunc nascitur mundi ipsius senectute degenerat, ut nemo mirari debeat singula in mundo coepisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit et in fine.

5. Quod autem crebrius bella continuant, quod sterilitas et fames sollicitudinem cumulant, quod saeuientibus morbis ualitudo frangitur, quod humanum genus luis populatione uastatur, et hoc scias esse praedictum in nouissimis temporibus multiplicari mala et aduersa uariari et adpropinquante iam iudicii die magis ac magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi. Non enim, sicut tua falsa querimonia et imperitia ueritatis ignara iactat et clamitat, ista accidunt, quod dii uestri a nobis non colantur, sed quod a uobis non colatur Deus. Nam cum ipse sit mundi Dominus et rector et cuncta arbitrio eius et nutu gerantur nec quicquam fieri possit nisi quod aut fecerit aut fieri ipse permiserit, utique quando ea fiunt quae iram Dei indignantis ostendunt non propter nos fiunt a quibus Deus colitur, sed delictis et meritis uestris inrogantur, a quibus Deus omnino nec quaeritur nec timetur nec relictis uanis superstitionibus religio uera cognoscitur, ut qui Deus unus est omnibus unus colatur ab omnibus et rogetur.

6. Ipsum denique audi loquentem, ipsum uoce diuina instruentem nos et monentem: *Dominum Deum tuum adorabis*, inquit, *et ipsi soli seruias*,³⁶ et iterum: *Non erunt tibi dii alii absque me*,³⁷ et iterum: *Nolite ambulare*

³⁶ Deut 6,13.

*post deos alienos ut seruiatis eis et ne adoraueritis eos: et ne incitetis me in operibus manuum uestrarum ad disperdendos uos.*³⁸ Propheta item sancto Spiritu plenus contestatur et denuntiat iram Dei dicens: *Haec dicit Dominus omnipotens: eo quod domus mea deserta est, uos autem sectamini unusquisque in domum suam, propterea abstinebit caelum a rore et terra subtrahet procreationes suas, et inducam gladium super terram et super frumentum et super uinum et super oleum et super homines et super pecora et super omnes labores manuum eorum.*³⁹ Item propheta alius repetit et dicit: *Et pluam super unam ciuitatem et super unam non pluam. Pars una compluetur et pars super quam non pluerit arefiet. Et congregabuntur duae et tres ciuitates in unam ciuitatem potandae aquae causa nec satiabuntur: et non conuertimini ad me, dicit Dominus.*⁴⁰

7. Indignatur ecce Dominus et irascitur et quod ad eum non conuertimini comminatur: et tu miraris aut quereris in hac obstinatione et contemptu uestro, si rara desuper pluuiam descendat, si terra situ pulueris squaleat, si uix ieiunas et pallidas herbas sterilis gleba producat, si uineam debilitet grando caedens, si oleam detruncet turbo subuertens, si fontem siccitas statuatur, aerem pestilens aura corrumpat, hominem morbida ualitudo consumat, cum omnia ista peccatis prouocantibus ueniant et plus exacerbetur Deus quando nihil talia et tanta proficiant. Fieri enim ista uel ad disciplinam contumacium uel ad poenam malorum, declarat in scripturis sanctis idem Deus dicens: *Sine causa percussi filios uestros, disciplinam non exceperunt.*⁴¹ Et propheta deuotus ac dicatus Deo ad haec eadem respondit et dicit: *Verberasti eos nec doluerunt: flagellasti eos nec uoluerunt accipere disciplinam.*⁴² Ecce inrogantur diuinitus plagae et nullus Dei metus est: ecce uerba desuper et flagella non desunt et trepidatio nulla formido est. Quid si non intercederet rebus humanis uel ista censura? quanto adhuc maior in hominibus esset audacia facinorum inpunitate secunda?

8. Quereris quod minus nunc tibi uberes fontes et aerae salubres et frequens pluuiam et fertilis terra obsequium praebeant, quod non ita utilitatibus tuis et uoluptatibus elementa deseruiant. Tu enim Deo seruis per quem tibi cuncta deseruiunt: famularis illi cuius nutu tibi uniuersa famulantur. Ipse de seruo tuo exigis seruitutem et homo hominem parere tibi et oboedire compellis, et cum sit uobis eadem sors nascendi, condicio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, aequali iure et pari lege uel ueniatur in istum mundum uel de mundo postmodum recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo seruiatur, nisi ad uoluntatis obsequium pareatur, inperiosus et nimius seruitutis exactor flagellas, uerberas, fame, siti, nuditate et ferro frequenter et carcere adfligis et crucias. Et non agnoscis Deum Dominum cum sic exerceas ipse dominatum?

³⁷ *Deut 5,7.*

³⁸ *Hier 25,6.*

³⁹ *Agg 1,9b-11.*

⁴⁰ *Amos 5,7.8.*

⁴¹ *Hier 2,30a.*

⁴² *Hier 5,3b.*

9. Merito ergo incursantibus plagis non desunt Dei flagella nec uerbera. Quae cum nihil istic promoueant nec ad Deum singulos tanto cladium terrore conuertant, manet postmodum carcer aeternus et iugis flamma et poena perpetua, nec audietur illic rogatum gemitus, quia nec hic Dei indignantis terror auditus est qui per prophetam clamat et dicit: *Audite sermonem Domini, filii israel, quia iudicium est Domini aduersus incolas terrae, quod neque misericordi neque ueritas neque agnitio Dei sit super terram: execratio et mendacium et caedes et furtum et adulterium diffusum est super terram, sanguinem sanguini supermiscent. Idcirco terra lugebit cum uniuersis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terrae, cum uolucris caeli, et deficient pisces maris, ut nemo reuincat.*⁴³ Indignari se Deus dicit quod agnitio Dei non sit in terris, et Deus non agnoscitur nec timetur. Delicta mendaciorum, libidum, fraudum, crudelitatis, impietatis, furoris Deus increpat et incusat, et ad innocentiam nemo conuertitur. Fiunt ecce quae uerbis Dei ante praedicta sunt, nec quisquam fide praesentium ut futurum consulat admonetur. Inter ipsa aduersa quibus uix coartata et conclusa anima respirat uacat malos esse et in periculis tantis non de se magis se de altero iudicare. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni male uiuendo mereamini, quasi non omnia ista quae accidunt minora adhuc sint et leuiora peccatis uestris.

10. Qui alios iudicas aliquando esto et tui iudex, conscientiae tuae latebras intuere, immo, quia nullus iam delinquendi uel pudor est et sic peccatur quasi magis per ipsa peccata placeatur, qui perspicuus et nudus a cunctis uideris et ipse te respicere. Aut enim superbia inflatus es aut auaritia rapax es aut iracundia saeuus aut alea prodigus aut uinolentia temulentus aut liuore inuidus aut libidine incestus aut crudelitate uiolentus: et miraris in poena generis humani iram Dei crescere, cum crescat cottidie quod puniatur? Hostem quereris exurgere, quasi etsi hostis desit esse pax inter ipsas togas possit; hostem quereris exurgere, quasi non, etsi externa de barbaris arma et pericula conprimantur, ferocius intus et grauius de calumniis et iniuriis potentium ciuium domesticae impugnationis tela grassentur: de sterelitate ac fame quereris, quasi famem maiorem siccitas quam rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis et pretiorum cumulis flagrantior inopiae ardor excrescat: quereris cludi imbribus caelum, cum sic horrea cludantur in terris: quereris minus nasci, quasi quae nata sunt indigentibus praebeantur: pestem et luem criminariis, cum peste ipsa et lue uel detecta sint uel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia et defunctis auaritia inhiat ac rapina. Idem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera et adpetentes spolia mortuorum, ut appareat in aegritudine sua miseros ad hoc forsitan et derelictos esse ne possint dum curantur euadere: nam perire aegrum uoluit qui censum pereuntis inuadit.

11. Tantus cladium terror dare non potest innocentiae disciplinam et inter populum frequenti strage morientem nemo considerat et se esse mortalem. Passim discurritur, rapitur, occupatur: praedandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio: quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille qui non rapit damnus et

⁴³ Os 4,1-4a.

dispendium proprium sentiat, sic unusquisque rapere festinat. In latronibus est utcumque aliqua scelerum uerecundia, auias fauces et desertas solitudines diligunt, et sic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris et nocte ueletur. Auaritia palam saeuit et ipsa audacia sua tuta in fori luce abruptae cupiditatis arma prostituit.

Inde falsarii, uenefici; inde in media ciuitate sicarii tam ad peccandum praecipites quam inpune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens qui uindictet inuenitur. De accusatore uel indice metus nullus: impunitatem consecuntur mali, dum modesti tacent, timent conscii, ueneunt iudicaturi. Et idcirco per prophetam diuino spiritu et instinctu rei ueritas promitur, certa et manifesta ratio monstratur Deum posse aduersa prohibere sed ne ille subueniat merita peccantium facere. *Numquid, ait, non ualet manus Dei, ut saluos faciat, aut grauauit aurem ut non exaudiat? sed peccata uestra inter uos et Deum separant, et propter delicta uestra auertit faciem a uobis ne misereatur.*⁴⁴ Peccata itaque et delicta reputentur, conscientiae uulnera cogitentur: et desinit unusquisque de Deo uel de nobis conqueri, si quod patitur intellegat se mereri.

12. Ecce id ipsum quale est unde nobis cum maxime sermo est, quod nos infestatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatu adque opprimitis Dei seruos? Parum est quod furientium uarietate uitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum uita uestra maculatur, quod superstitionibus falsis religio uera subuertitur, quod Deus omnino non quaeritur nec timetur: adhuc insuper Dei seruos et maiestati ac numini eius dicatos iniustis persecutionibus flagitatis. Satis non est quod ipse tu Deum non colis: adhuc insuper eos qui colunt sacrilega infestatione persequeris. Deum nec coli omnino permittis, et cum ceteri qui non tantum ista inepta idola et manu hominis facta simulacra sed et portenta quedam et monstra uenerantur tibi placeant, solus displicet Dei cultor. Fumant ubique in templis uestris hostiarum busta et rogi pecorum, et Dei altaria uel nulla sunt uel occulta. Crocodilli et cynocephali et lapides et serpentes coluntur, et Deus solus in terris aut non colitur aut non inpune quod colitur. Innoxios, iustos, Deo caros domo priuas, patrimonio spoliatis, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltim contentus es dolorum nostrorum compendio et simplici ac ueloci breuitate poenarum: admoues laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis uisceribus numerosa supplicia, nec feritas adque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis: excogitat nouas poenas ingeniosa crudelitas.

13. Quae haec est insatiabilis carnificinae rabies, quae inexplebilis libido saeuitiae? Quin potius elege tibi alterum de duobus: christianum esse aut est crimen aut non est. Si crimen est, quid non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem. Si poenam tuam metuens id quod prius fueram et quod deos tuos non colueram mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuisset, tunc ad confessionem criminis ui doloris adigendus, sicut in quaestionibus

⁴⁴ Is 59,1.2.

ceteris torquentur rei qui se negant crimine quo accusatur teneri, ut facinoris ueritas quae indice uoce non promitur dolore corporis exprimat. Nunc uero cum sponte confitear et clamem et crebris ac repetitis identidem uocibus christianum me esse contester, quid tormenta admoues confitenti et deos tuos non abditis et secretis locis sed palam, sed publice, sed in foro ipso magistratibus et praesidibus audientibus destruenti? Vt si parum fuerat quod in me prius criminaberis, creuerit quod odisse et punire plus debeas; quod dum me christianum celebri loco et populo circumstante pronuntio et uos et deos uestros clara et publica praedicatione confundo, quid te ad infirmitatem corporis uertis, quid cum terrenae carnis inbecillitate contendis? Cum animi uigore congregere, uirtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione si potes uince, uince ratione.

14. Vel si quid diis tuis numinis et potestatis est, ipsi in ultionem suam surgant, ipsi se sua maiestate defendant. Aut quid praestare colentibus possunt qui se de non colentibus uindicare non possunt? Nam si eo qui uindicatur plurius est ille qui uindicat, tu diis tuis maior es. Si autem his quos colis maior es, non tu illos colere, sed ab illis coli debes. Sic illos laesos ultio uestra defendit, quomodo et clausos ne pereant tutela uestra custodit. Pudeat te eos colere quos ipse defendis, pudeat tutelam de eis sperare quos tu tueris.

15. O si audire eos uelis et uidere, quando a nobis adiurantur, torquentur spiritalibus flagris et uerborum tormentis de obsessis corporibus eiciuntur, quando heulantes et gementes uoce humana et potestate diuina flagella et uerba sentientes uenturum iudicium confitentur. Veni et cognoscere uera esse quae dicimus: et quia sic deos colere te dicis, uel ipsis quos colis crede. Aut si uolueris et tibi credere, de te ipso loquetur audiente te qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiae nocte caecauit. Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas, timeri ab eis quos tu adoras: uidebis sub manu nostra stare uinctos et tremere captiuos quos tu suspicis et ueneraris ut dominos. Certe uel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris et audieris deos tuos quid sint interrogatione nostra statim prodere et praesentibus licet uobis praestigias et fallacias suas non posse celare.

16. Quae ergo mentis ignauia est, immo quae desipientium caeca et stulta dementia ad lucem de tenebris non uenire et mortis aeternae laqueis uinctos spem nolle immortalitatis excipere, non metuere Deum conminantem et dicentem: *Sacrificans diis eradicabitur nisi Domino soli.*⁴⁵ Et iterum: *Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, et curuatus est homo et humiliatus est uir, et non laxabo illis.*⁴⁶ Quid te ad falsos deos humilias et inclinas, quid ante inepta simulacra et figmenta terrena captiuum corpus incuruas? Rectum te Deus fecit et cum cetera animalia prona et ad terram situ uergente depressa sint, tibi sublimis status et ad caelum adque ad Dominum suum uultus erectus est. Illuc intueri, illuc oculos tuos erigere, in supernis Deum quaere. Vt carere inferis possis, ad alta et caelestia suspensum pectus adtolle. Quid te in lapsum mortis cum serpente quem colis sternis? Quid in ruinam diaboli per ipsum et cum ipso cadis?

⁴⁵ Ex 22.20.

⁴⁶ Is 2,8-9.

Sublimitatem serua qua natus es. Perseuera talis qualis a Deo factus es. Cum statu oris et corporis animum tuum statue. Vt cognoscere Deum possis, te ante cognosce. Relinque idola quae humanus error inuenit. Ad Deum conuertere: quem si inploraueris, subuenit. Christo crede quem uiuificandis ac reparandis nobis pater misit. Laedere seruos Dei et Christi persecutionibus tuis desine quos laesos ultio diuina defendit.

17. Inde est enim quod et nemo nostrum quando adprehenditur reluctatur nec se aduersus iniustam uiolentiam uestram quamuis nimius et copiosus noster populus ulciscitur. Patientes facit de secutura ultione securitas. Innocentes nocentibus cedunt, insontes poenis et cruciatibus acquiescunt certi et fidentes quod inultum non remaneat quodcumque perpetimur quantoque maior fuerit persecutionis iniuria tanto et iustior fiat et grauior pro persecutione uindicta. Nec umquam impiorum scelere in nostrum nomen exurgitur, ut non statim diuinitus uindicta comitetur. Vt memorias taceamus antiquas et ultiones pro cultoribus Dei saepe repetitas nullo uocis praeconio reuoluamus, documentum recentis rei satis est quod sic celeriter quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est uinis rerum, iacturis opum, dispendio militum, deminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet aut fuisse fortuitum putet, cum iam pridem scriptura diuina posuerit et dixerit: *Mihi uindictam, ego retribuam, dicit Dominus,*⁴⁷ et iterum Spiritus sanctus praemoneat et dicat: *Ne dixeris: ulciscar me de inimico meo, sed expecta Dominum ut tibi auxilio sit.*⁴⁸ Vnde clarum est adque manifestum quia non per nos sed pro nobis accidunt cuncta ista quae de Dei indignatione descendunt.

18. Nec ideo quis putet christianos his quae accidunt non uindicari, quod et ipsi uideantur accidentium incursione perstringi. Poenam de aduersis mundi ille sentit cui et laetitia et gloria omnis in mundo est. Ille maeret et deflet, si sibi male sit in saeculo, cui bene non potest esse post saeculum, cuius uiuendi fructus omnis hic capitur, cuius hic solacium omne finitur, cuius caduca et breuis uita hic aliquam dulcedinem computat et uoluptatem, quando istinc excesserit poena iam sola superest ad dolorem. Ceterum nullus his dolor est de incursatione malorum praesentium quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur aduersis nec frangimur nec dolemus neque in ulla aut rerum clade aut corporum ualitudine musitamus. Spiritu magis quam carne uiuentes firmitate animi infirmitatem corporis uicimus. Per ipsa quae uos cruciant et fatigant probari et corroborari nos scimus et fidimus.

19. Putatis nos aduersa uobis cum aequaliter perpeti, quando eadem aduersa uideatis a nobis et uobis non aequaliter sustineri? aput uos impatientia clamosa semper et querula est, aput nos fortis et religiosa patientia quieta semper et semper in Deum grata est, nec quicquam istic laetum aut prosperum sibi uindicat, sed mitis et lenis et contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis diuinae pollicitationis tempus expectat. Quamdiu enim corpus hoc permanet commune cum ceteris, sit necesse est et corporalis

⁴⁷ Rom 12,19b (cfr. Deut 32,35).

⁴⁸ Prou 20,22.

condicio communis nec separari generi humano ab inuicem datur, nisi istinc de saeculo recedatur. Intra unam domum boni et mali interim continemur. Quicquid intra domum uenerit pari sorte perpetimur, donec aevi temporalis fine completo ad aeternae uel mortis uel immortalitatis hospitia diuidamur. Non ergo idcirco compares uobis et aequales sumus, quia in isto adhuc mundo et carne hac constituti mundi et carnis incommoda uobis cum pariter incurrimus. Nam cum in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem poenae tuae quem uideas te cum non dolere.

20. Viget apud nos spei robur et firmitas fidei et inter ipsas saeculi labentis ruinas erecta mens est et immobilis uirtus et numquam non laeta patientia et de Deo suo semper anima secure, sicut per prophetam spiritus sanctus loquitur et hortatur spei ac fidei nostrae firmitatem caelesti uoce corroborans. *Ficus, inquit, non adferet fructum et non erunt nascentia in uineis. Mentietur opus oliuae et campi non praestabunt cibum. Deficient a pabulo oues et non erunt in praeseptibus boues. Ego autem in Domino exultabo et gaudebo in Deo salutari meo.*⁴⁹ Dei hominem et cultorem Dei subnixum spei ueritate et fidei stabilitate fundatum negat mundi huius et saeculi infestationibus commoueri. Vineae licet fallat et olea decipiat et herbis siccitate morientibus aestuans campus arescat, quid hoc ad christianos, quid ad Dei seruos paradisi inuitat, quos gratia omnis et copia regni caelestis exspectat? exultant semper in Domino et laetantur et gaudent in Deo suo et mala adque aduersa mundi fortiter tolerant, dum bona et prospera futura prospectant. Nam qui exposita natiuitate terrena spiritu recreati et renati sumus nec iam mundo sed Deo uiuimus, non nisi cum ad Deum uenerimus Dei munera et promissa capiemus. Et tamen pro arcendis hostibus et imbris impetrandis et uel auferendis uel temperandis aduersis rogamus semper et preces fundimus et pro pace ac salute uestra propitiantes et placantes Deum diebus ac noctibus iugiter adque instanter oramus.

21. Nemo sibi itaque blandiatur quod nobis et profanis, Dei cultoribus et Deo aduersantibus sit interim per aequalitatem carnis et corporis laborum saecularium condicio communis, ut ex hoc opinetur non omnia quae accidunt uobis inrogari, cum Dei ipsius praedicatione et prophetica contestatione ante praedictum sit uenturam super iniustos iram Dei, persecutiones quae nos humanitus laederent non defuturas, sed et ultiones quae laesos diuinitus defenderent secuturas.

22. Et quanta sunt quae istic pro nobis interim fiunt. In exemplum aliquid datur, ut Dei uindictis ira noscatur. Ceterum retro est iudicii dies quem scriptura sancta denuntiat dicens: *Vlulate. Proximus est enim dies Domini, et obtritio a Deo aderit. Ecce enim dies Domini uenit insanabilis indignationis et irae ponere orbem terrae desertum et peccatores perdere ex eo.*⁵⁰ Et iterum: *Ecce dies Domini uenit ardens uelut clibanus, eruntque omnes alienigenae et omnes iniqui stipula, et succendet illos adueniens dies, dicit Dominus.*⁵¹ Succendi et cremari alienigenas praecanit Dominus, id est alienos a diuino genere et profanos, spiritualiter non renatos nec filios factos. Euadere enim solos posse qui renati et signo Christi signati fuerint alio in loco Deus loquitur,

⁴⁹ *Hab* 3,17.18.

⁵⁰ *Is* 13,6.9.

⁵¹ *Mal* 3,19.

quando ad uastationem mundi et interitum generis humani angelos suos mittens grauius in ultimo comminatur dicens: *Vadite et caedite et nolite parcere oculis uestris. Nolite misereri senioris aut iuuenis, et uirgines et mulieres et paruulos interficite ut perdelegantur. Omnem autem super quem signum scriptum est ne tetigeritis.*⁵² Quod autem sit hoc signum et qua in parte corporis positum manifestat alio in loco Deus dicens: *Transi mediam hierusalem et notabis signum super frontes uirorum qui ingemunt et maerent ob iniquitates quae fiunt in medio ipsorum.*⁵³ Et quod ad passionem et sanguinem Christi pertineat hoc signum et ille saluus adque incolumnis reseruetur quisque in hoc signo inuenitur, item Dei testimonio conprobatur dicentis: *Et erit sanguis in signo uobis super domos in quibus ibi eritis, et uidebo sanguinem et protegam uos, et non erit in uobis plaga deminutionis, cum percutiam terram Aegypti.*⁵⁴ Quod ante occiso agno praecedat in imagine impletur in Christo secuta postmodum ueritate. Vt illic percussa aegypto iudaicus populus euadere non nisi sanguine et signo agni potuit, ita et cum uastari coeperit mundus et percuti quisque in sanguine et signo Christi inuentus fuerit solus euadit.

23. Respicite itaque dum tempus est ad ueram et aeternam salutem, et quia iam mundi finis in proximo est ad Deum mentes uestras Dei timore conuertite. Nec uos delectet in saeculo inter iustos et metes inpotens ista et uana dominatio, quando et in agro inter cultas et fertiles segetes lolium et auena dominetur, nec dicatis mala accidere, quia dii uestri a nobis non colantur, sed sciatis esse hanc iram Dei, hanc <Dei> esse censuram ut qui beneficiis non intellegitur uel plagis intellegatur. Deum uel sero quaerite, quia iam pridem per prophetam Deus praemonens hortatur et dicit: *Quaerite Deum, et uiuet anima uestra.*⁵⁵ Deum uel sero cognoscite, quia et Christus adueniens hoc admonet et docet dicens: *Haec est autem uita aeterna ut cognoscant te solum et uerum Deum et quem misisti Iesum Christum.*⁵⁶ Credite illi qui omnino non fallit. Credite illi qui haec omnia futura praedixit. Credite illi qui credentibus praemium uitae aeternae dabit. Credite illi qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus inrogabit.

24. Quae tunc erit fidei gloria, quae poena perfidiae, cum iudicii dies uenerit, quae laetitia credentium, quae maestitia perfidorum noluisse istic prius credere et ut credant iam redire non posse. Cremabit addictos ardens semper gehenna et uiuacibus flammis uorax poena, nec erit unde habere tormenta uel requiem possint aliquando uel finem. Seruantur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic a nobis semper qui hic nos spectauit ad tempus, et in persecutionibus factis oculorum crudelium breuis fructus perpetua uisione pensabitur secundum scripturae sanctae fidem dicentis: *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur, et erunt ad uisionem uniuersae carni.*⁵⁷ Et iterum: *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustauerunt et qui abstulerunt labores eorum.*

⁵² Ez 9,5.6.

⁵³ Ez 9,4.

⁵⁴ Ex 12,13.

⁵⁵ Amos 5,6a.

⁵⁶ Io 17,3.

⁵⁷ Is 66,24b.

*Videntes turbabantur timore horribili et mirabuntur in subitatione insperatae salutis dicentes inter se, paenitentiam habentes et per angustiam spiritus gementes: 'hi sunt quos habuimus aliquando in risu et in similitudine inproperii. Nos insensati uitam illorum aestimabamus insaniam et finem eorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors eorum est? ergo errauimus a uia ueritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis et sol non est ortus nobis. Lassati sumus iniquitatis uia et perditionis et ambulauimus solitudines difficiles, uiam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra.*⁵⁸ Erit tunc sine fructu paenitentiae dolor poenae, inanis ploratio et inefficax deprecatio. In aeternam poenam sero credunt qui in uitam aeternam credere noluerunt.

25. Securitati igitur et uitae dum licet prouidete. Offerimus uobis animi et consilii nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis et sic Deo plus placemus, dum nullam pro iniuria uicem reddimus, hortamur, dum facultas adest, dum adhuc aliquid de saeculo superest, Deo satisfacere et ad uerae religionis candidam lucem de profundo tenebrosae superstitionis emergere. Non inuidemus commodis uestris nec beneficia diuina celamus. Odiis uestris beniuolentiam reddimus et pro tormentis ac suppliciis quae nobis inferuntur salutis itinera monstramus. Credite et uiuite et qui nos ad tempus persequimini in aeternum gaudete nobis cum. Quando istinc recessum fuerit, nullus iam paenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus. Hic uita aut amittitur aut tenetur: hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur aut annis quominus ueniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti paenitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus et quaerentibus adque intellegentibus ueritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu et uitae temporalis occasu pro delictis roges et Deum qui unus et uerus est confessione et fide agnitionis eius inpleres, uenia confitenti datur et credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.

26. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiae suae tribuit subigendo mortem trophaeo crucis, redimendo credentem pretio sui sanguinis, reconciliando hominem Deo patri, uiuificando mortalem regeneratione caelesti. Hunc si fieri potest sequamur omnes, huius sacramento et signo censeamur. Hic nobis uiam uitae aperit, hic ad paradysum reduces facit, hic ad caelorum regna perducit. Cum ipso semper uiuemus facti per ipsum filii Dei: cum ipso exultabimus semper ipsius cruore reparati. Erimus christiani cum Christo simul gloriosi, de Deo patre beati, de perpetua uoluptate laetantes semper in conspectu Dei et agentes Deo gratias semper. Neque enim poterit nisi et laetus esse semper et gratus qui cum morti fuisset obnoxius, factus est immortalitate securus.

⁵⁸ Sap 5,1-9a.